

tur, corpus est *compositum*; ergo constat ex *partibus non composi-*
tis, siue ita *simplicibus*, vt nec *partes*, nec *magnitudinem*, nec *figu-*
ram habeant. Quod inductione exemplorum facile illustratur &
 probatur. Ita medicamentum mixtum & *compositum* dicitur con-
 stare ex pluribus *ingredientibus*; quæ respectu *compositi* dicuntur
simplicia; non tamen quod nec *partes*, nec *magnitudinem* habeant.
 Homo est res maxime *composita*; cuius *partes simplices* duæ sunt,
 mens & corpus; licet corpus varias habeat partes. Ita corpus hu-
 manum rursus est res *composita*, cuius partes sunt variæ, *principales*
 & *minus principales*; caput, thorax, abdomen, & artus, brachia &
 crura. Ita terra nostra constat ex aqua & terra, porro ex monti-
 bus, vallibus, argilla, lapidibus, arena, &c. Sed omnes hæ partes
 ex partibus minoribus constant. Stellæ fixæ & sol constant ex con-
 gerie minutissimarum particularum; quæ rursus habent suas partes
 se minores. Nam *pars* semper est *magnitudo minor magnitudinis ma-*
ioris.

XXX. Instat Cl. Engelhard ibid. clamans: *Sed heus tu, qui*
iam completum substantiæ conceptum euoluisse te gloriaris, anne a-
ceruum 1000. globulorum, gregem ouium, montem quendam stupen-
dæ magnitudinis ex arena congestum substantiam appellas? Nomines,
vt velis, nolo refragari; sed id saltem mihi dabis, me eundem montem
eodem, imo meliore iure, plurium substantiarum aggregatum nomi-
nare posse, cum quælibet arenula per se singularem (vt more tuo lo-
quar,) constituat substantiam; iam vero cum quælibet arenula iterum
componatur ex aliis partibus; nonne quælibet iterum aggregatum e-
rit aliarum, atque ita porro? Quod si actu in infinitum ita rem se ha-
bere putes, & nulla dentur simplices substantiæ, infinita habebis sine
substantiis phænomena; quæ apertissima ad Spinozismum via, imo i-
pse Spinozismus est. (Consequentiæ hæc nulla est; sufficit enim, ut
sint substantiæ partes extensæ minores habentes, quæ coniunctæ
vnam, & sæparatæ plures substantias faciunt.) Dari ergo substanti-
as, ex quarum coëxistentia huius mundi phænomena oriuntur, fatea-
re necessum est, quarum essentia cum neque in extensione, neque inco-
gitandi ætuoitate consistat, &c. ignota ipsi est.

XXXI. Ex hoc ratiocinio liquet, Virum Cl. ex notione *sub-*
stantiæ videri velle probare substantias tales *simplices*, siue *simplicia*
sine partibus. Idcirco conferre oportet *substantiæ* definitionem,
 quam